



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Mvndvs Et Mvndi Partes, Divinæ Bonitatis Ac Ivstitiæ  
Præcones**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadt, 1645**

§. 2. Terra luce, & fœcunditate orbata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52365](#)

Quanquam enim ista s̄a pe suās, etiam in  
natura caussas habent; falsum est tamen,  
nihil horum Deos facere, nec irā numinum,  
calum concuti, aut terram, ut Stoicus præ-  
sumere animo jussit.

Senec.  
lib. 6. nat.  
q. q. c. 30.

§. lib. II.

Terra luce, & fœcunditate orbata.

Apud veteres tragœdos, Atreo Myce-  
narum rege, Thyesti fratri suo filium epu-  
landū præbente, singitur sol, facinoris im-  
manitatem abominatus, radios suos resor-  
buisse; immō, ne pollueretur, aufugisse. Ita  
tenebris terras operuisse erubelcentem na-  
turam, canunt Poëtæ, qui sibi videbantur  
irati Dei offensionem grauius exprimere,  
non posse. Nimirum, vt pictor excellens ta-  
bulæ à se pictæ cortinam obduxit, ne à su-  
tore, vltra crepidam sapiente, aut alio Mo-  
mo opus carpente aspiceretur: ita Deus  
quoque texit olim in Ægypto, nona plaga,  
terras; &, Filio suo moriente, trium hora-  
rum interuallo, cæli lumen extinxit, vt o-  
stenderet, vel naturam pati, vel naturæ au-  
thorem; eāq; propter indignos esse morta-  
les, qui lucem, qui orbem, qui orbis Con-  
ditorem intuerentur, quem crucifixerunt.

Senec. in  
Thyeste.

Eodem momento dies, ait Tertullianus, me- Tertull.

Hh 3 diuin

## 480 Cap. XVIII. Terra mala, &amp; prae-

Apol. ad uers. Gét. cap. 21. ann. dil. &c. 3. p. p.

dium orbem signante sole, subducta est. Diff. quium utique putauerunt, qui id quoque super Christo predicatum, non sciuerunt. Et tamen cum mundi casum relatam in archiis vestris habetis. Scilicet, quia nihil deformius est peccato, debebat ea deformitas significari, per terram quoque deformatam. Ut enim lux rebus omnibus videtur colorem gratiamque affundere; ita nox, cum die, auferit omnem terris venustatem: &, velut dominum, ob funus Principis in luctum conjectam, pullata atraque facit vniuersa, quæ comprehendit. Ita enim in magnatum aulis, quando ibi Domini cadaver depositum baiulos & sepulchrum expectat, parietes, scaenæ, mensæ, famuli, ipsi etiam eurrus & equi, tristi nigredine vestiuntur. Quanquam non lux & color tantum, sed & fertilitas, & pulchritudo ipsa terræ adimitur, si diuinus Iudex, terrenas, & cælestium inanes animas hoc elemento

Plin. l. 12. vult plectere. Siquidem circa Sodomanu Nat. hist. olim omnia mortua, & postea etiam ipsius c. 25. Ge- nebrard. terræ sanctæ amœnitas, & fœcunditas, vna l. 2. chron. cum templo & natione, euanuit; vt traditū in Tito, probati authores: adeò vt balsamum soli ex Paulo Iudææ à Plinio attributum, nec nisi in le- richua.

richuntinis viridarijs nasci solitum, in Ægyptum sit translatum, vbi non alia irrigatum aqua crescit, quām illius fontis, qui B. Virginis Mariæ, Filioque illius scaturit exultanti.

Iouiol. 17.  
hist.

§. III.

*Terra ardoribus exusta, Deo puniente.*

Ne quis autem existimet, caligine tantum, aut luminis subductione, vel siccitate, ac sterilitate terras deformari, deformantur & igne, & motu, quando diuinâ irâ percussæ contremiscunt. Tametsi enim nihil aliud est in terra tremor, quām in nube tonitruum; nec hiatus aliud, quām cūm fulmen erumpit, inclusō spiritu luctante, & ad libertatem exire nitente: vtitur tamen natura Deus, & in perniciem impiorum frænos laxat elementis. Hinc illa: *Quia dies ultionis Domini, annus retributionis judicij Sion, convertentur torrentes eius in picem, & humus ei⁹ in sulphur: & erit terra eius in picem ardente.* Quo pacto Vesuuuius mons, teste Eusebio, Anno Christi 83. rupto vertice, tantam flammarum copiam euomuit, vt finitimæ regiones vrbésque, vnâ cum hominibus, incensæ fuerint ac desertæ. Circa annum 1135. tantus in Gallia calor, tantaque

Plin. li. 2.  
nat. hist.  
cap. 79.

Isa. 34. 8.

Euseb.

An. 83.

Vign.

An. 82.

Palm.

An. 1135.